...nholdus

...dami Epitalamion in honorem nuptiarum.

# EPITHALAMION
## IN HONOREM NUPTIARUM,
*Quas*
ORNATISSIMUS VIRTUTE OMNIGENA
&
Literis benè excultus juvenis
# DN. ARNHOLDUS DILINGER
celebravit
*cum*
HONESTA BENEQ; MORATA VIRGINE
# FLORENTINA
Honesti & integerrimi Viri
# DN. ADRIANI ENGELKEN
Civis olim apud Dantiscanos primarii
relictâ Filiâ
*III. Eid. Junii* ANNO CIↃ IↃC XIX.
*Scriptum honoris ergò*
*â*
*M. Adamo Freitagio Thorun. Gymn. Collegâ.*

Typis AUGUSTINI FERBERI Senioris

HActenus & Musæ, Charitesq; & præses Apollo,
Mercuriusq; tuas disposuêre vias,
HARNOLDE ô DILGNERE sacri non infime cœtus,
Quem nunc ire jubet sub sua jura Venus.
In patriâ benè nam genitum celeberrimâ ubiq;
DANTISCO Aonides te coluêre Deæ.
Hîc primas graphicæ didicisti sedulus artis
Partes, huicq; arti juncta elementa aliæ.
Iecisti hîc Latiæ pariter fundamina Linguæ,
Et Grajæ, sine quâ manca Latina manet:
Et sine utraq; nihil rerum cognoscitur; amplus
Quas doctrinarum Cyclicus usus habet.
Non etenim potis est quisquam cognoscere caussas
Scrutando obscuras Linguæ utriusq; rudis.
Non potis est idem fines proponere certos
Actibus humanis consiliisq; probis.
Non potis est gestis distinguere tempora rebus,
Nî prius excutiat Linguæ utriusq; penum.
Non potis est alas geminas humero addere utriq;,
Queis Terras, Maria & Sidera pervolitet.
Nemo doctus erit, qui cum sermone Pelasgo
Ausoniam Linguam non benè calluerit.

*Feciſti primis igitur prudenter ab annis,*
*Quòd fundamentum jeceris hocce bonum.*
*DANTISCO noſtram THORUNam miſſus ab ur-*
*Sarmaticam Linguam quò benè perciperes. (bes,*
*Eſt Urbs noſtra etenim Bructeno in limite: Linguæ*
*Germanæ hîc uſus Sarmaticæq́; viget.*
*Et Patriâ in veſtrâ, quò deportare Poloni*
*Fruges conſuerunt, Lingua Polona valet.*
*Hîc mihi convictor vixiſti ROSSOVIUSq́;.*
*Ambo pares animis, officio ambo pares.*
*Inde peragraſti varias ſub Sole jacentes*
*Terras, & loca quæ ſolo adeunda mari.*
*Viſa tibi primùm fortis Germania: poſt hanc*
*Gallia & evictis Alpibus Italia.*
*Belgica natio te ſuſcepit, & Anglica: multâ*
*Præditus in Patriam cognitione redis.*
*Hactenus Aonides, blandæ Charitesq́; fuerunt*
*Cordi, & Apollo, vagus Mercuriusq́; tibi.*
*Nunc te ſacra Venus ſibi vincit, & imperat, ut jam*
*In ſtabili tandem ſis maneasq́; loco:*
*Et patriam, quâ nil homini jucundius exſtat,*
*Conſilio promto req́; fideq́; juves.*
*Atq́; palàm facias, quòd non mutaveris auras*
*Et cœlum tantùm: ſed quòd honeſta ſcias,*
*Utilia & Patriæ: quî florida pax beet urbes:*
*Et quî diſcordes noxia perdat Eris.*

*Et*

*Et qui judiciis constrinxerit omnia certis*
*Iusticiæ sanctæ fons & Origo DEus,*
*Ut Cives vivant jucundâ in pace beati:*
*Et teneat placido pectore quisq; suum.*
*Ut verò fieres Veneri devinctior: Ecce*
*A Venere offertur Virgo pudica tibi:*
*Cuius ut ex oculis radii micuêre potentes,*
*Protinus exarsit corq; animusq; tuus.*
*Hinc tibi crevit Amor: sed castus: legibus ille*
*Consonus humanis, legibus atq; DEI.*
*FLORENTINA tibi reliquis è mille puellis*
*Sola placet: solum te cupit illa suum.*
*FLORENTINA nitens in primo flore juventæ*
*Infecit blando pectus amore tuum.*
*Hujus te Pietas Virtus & amabilis acri*
*Incendit flammâ: te merus urit Amor.*
*Nocte dieq; tuas est mollis flamma medullas,*
*FLORENTINA tibi somnia grata facit.*
*Huic igitur sociæ posthac conjunctus in annos*
*Innumeros salvus viue, Deoq; place.*
*Sit procul â vestris Eris & Discordia tædis,*
*Adsit Eros vestro fertilitasq; toro.*
*Flore novo thalamus renovetur, flore quotannis*
*Auctior evadat, prole subinde novâ.*
*Quæ posthac summũ colat hîc celebretq; IEHOVAM,*
*Ex cujus manibus profluit omne bonum.*

*Morbi absint, mentes sint sanæ in corpore sano,*
*Perpetuo & simili vita tenore fluat.*
*Sit constans tandem, vobis & firma Senectus:*
*Cumææ & Pylii vincite secla Senum.*
*Sponsus avi, sed Sponsa aviæ venerabile nomen*
*A multâ atq; probâ posteritate gerat.*
*Vos super irradiet cœlestis gratia: Vobis*
*Quæ tribuat, sibi quod mens utriusq; cupit.*

ERENHOLDUS DILINGERUS
Ἀναγραμματισθέν (πλεονάζει τὸ L.)

EN DURO DILIGENS HERUS.

*Multa solent thalamum mala perturbare jugalem,*
*Quæ destinant Fata huic Scholæ.*
*Conjugium Schola namq; crucis, Pietatis alumna est:*
*Angit dolor dum Conjuges.*
*Sed quid agas? Omnis contrà ferventior instet,*
*Precesq; fundat ad DEUM.*
*Ipse etiam afflictus mala contra audentior ibo:*
*EN DURO DILIGENS HERUS,*
*Duro & durabo, dum me Spes unica CHRISTUS*
*Durare cupiet in malis.*

FLORENTINA ANGELECHINA.
Ἀναγραμματισθέν.

HINC NE FLORENT? EN AGLAIA.

HINC

*HINC NE tori FLORENT sacri fundamina? quando*
*Subinde fundimus preces;*
*Inq; malis soli CHRISTO confidimus; atq;*
*Amore mutuo simul*
*Flagramus? Sic est: EN id AGLAIA indicat una*
*E Gratiis pulcherrima:*
*Hæc splendore suo reliquis decus addit honestum*
*Manu implicatis Gratiis.*
*Sicut enim Charites grato religantur amore:*
*Sic Conjuges amor juvat.*